6

Ada genuit Seth ad ymaginem et similitudinem suam ipse uero creatus est ad ymaginem dei

nuit secundum patrem omnium hominum videlicet Seth quem eciam vocauit Enos quod interpretatur racionalis et fortis qui cepit inuocare nomen domini quia iustus et reus fuit A quo eciam Noe iustus per generaciones descendit A quibus eciam omne genus humanum processit Abel enim absque filiis obijt et generaciones kayn omnes in diluuio perierunt Anno itaque vite Ade centesimo xxx° kayn occidit Abel et luxerunt eum Ada et Eua centum annis et secundum hebreos Ada fuit c xxx annorum cum natus est ei Seth sed secundum alios et lxx interpretes erat ccxxx annorum Isti autem anni luctus non sunt scripti forte a moyse eo quod tunc steriles et quasi inutiles primi parentes viderentur mundo Genuitque secundum Iosep et methodium de Eua ipse Adam xxx alios filios et totidem filias preter kayn et Abel

nota

## De generacionibus kayn

Cognouit kayn vxorem suam Calmana et genuit Enoch edificauitque ciuitatem et vocauit eam nomine filij Enoch Porro Enoch genuit Yrad Cui Maviael qui Matusael Cui lamech qui septimus fuit ab Ada et pessimus et primus bigamus Ipse enim contra legem nature et decretum dei fecit In prima enim creacione vnica vnico facta est mulier decreuerat enim deus per os Ade Erunt duo in carne vna sed ipse accepit duas vxores scilicet Ada et Sella Genuitque Ada Iabel qui repperit tentoria pastorum segregans greges ab inuicem iuxta generacionem suam Et Iubal primum musicum et inuentorem consonanciarum Sella vero genuit Tubalchaym primum fabrum in cuncta opera metallorum quo fabricante Iubal sono malleorum delectatus ex ponderibus eorum proporciones et consonancias excogitauit Soror vero eius Noema repperit opera mulierum cum fuso filo et acu et artem texture lamech iste primus venator

de lamech primo bygamo

Iosephus dicit quod kayn rapinis et violencia opes congregans suos ad latrocinia incitabat et simplicitatem vite hominum adinuencione mensurarum et ponderum permutauit ad calliditatem et corrupcionem perduxit terminos terre primus posuit et ciuitates muniuit quos lesit ob securitatem suis in vrbibus collegit etc.

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK HEIDELBERG
BIBLIOTECA APOSTOLICA VATICANA
© Biblioteca Apostolica Vaticana
http://digi.ub.uni-heidelberg.de/diglit/bav_pal_lat_924/0017
MANFRED LAUTENSCHLÄGER STIFTUNG